

EUROPAEA FOLIA SECUNDO QUOQUE MENSE LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE - Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - 1040 BRUXELLIS

Tel.: 734 55 42.

Redactrices : Francisca DERAEDT et Diana LICOPPE.

## Quid novi in MELISSA Juniore ?..

Hoc anno, in Melissa Juniore, quattuor partes invenire poteritis.

Primae partis titulus generalis est : Fabulae nostrarum regionum. Sub hoc indice legere poteritis fabulas typicas cuiusdam regionis ex orbe terrarum. In hoc numero divulgatur fabula Flandrica. Ergo, rogo vos, qui in Germania, in Francogallia, in Italia, in Polonia, in Africa vel alibi, ut ad nos tales fabulas mittatis.

Secunda pars spectat ad res antiquas sicut educationem, ludos, vestimenta, et cetera... Si ~~aliquid~~ de hac re scribere vultis, hoc libenter edemus.

Tertia pars vere vestra est quia constabit ex epistulis vestris. Hoc in numero legere poteritis epistolam a discipulis Belgicis (Hocgardiensibus) qui linguam Latinam valde desiderant et... magistrum suum.

In quarta tandem parte praebebuntur ludi varii.

<sup>MS</sup>  
Speramus vobiscum bene lusuras esse et vobis novum annum scholarem optimum exoptamus!



QUAE FUERIT EDUCATIO ROMANA.

47

Si tibi, discipulo vicesimo saeculo educato, mensis septembris, quo in schola redire ~~si~~ soles, ingratus est, certe iam saepe vituperasti Carolum Magnum qui "stupidè scholam instituit".

Fortasse nescis scholam iam multo tempore ante Carolum Magnum extitisse.

Romanorum tempore, in Urbe et in omnibus imperii provinciis, ineunte mense Martio, discipuli scholam adire coeperant.


Liberi septem annos nati, iam domi severe educati, ad primam scholam ibant.

Scholae habebantur plerumque in taberna quadam vel in via ipsa. Magister docebat in sella sedens; discipuli autem in subselliis sedebant. Magister nullam pecuniam pro schola accipiebat, quare aliud negotium etiam habere debebat ad vitam colendam. Hadriani tamen tempore, magistri qui ruri docerent stipendia obtinebant.

Cottidie a prima luce, per sex horas, discipuli in schola manebant. Nono quoque die erant nundinae, quibus liberis tandem licebat domi quiescere vel per vias ambulare.

Discipuli discebant legere et scribere seu stilo in ceris seu calamo in papyri fragmentis et computare digitis vel abaco, qui atavus est machinae computatoriae hodiernae. Perdifficile nobis est modo Romanorum computare. Pendet a consuetudine. Visne

probare?



1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	50	100	500	1000
I	II	III	IV	V	VI	VII	VIII	IX	X	L	C	D	M

Omnia necessaria discipulis emenda erant; quare multi parentes ad scholam tantum filios mittebant. Magistri erant severi. Discipulus, si serius adveniebat vel piger erat, semper puniebatur et saepe verberabatur.

48

Liberi undecim vel duodecim annos nati in secundam scholam ibant. Raro fiebat ut filiae hanc scholam adirent. Ibi regnabat grammaticus, qui saepe doctior erat quam magister. Discipulos docebat artem Latine Graeque loquendi et scribendi, historiam, geographiam, poesin, philosophiam et geometriam. Sic paulatim discipuli erudiebantur et bene loquebantur.

Deinde, circiter quindecim annos nati, iuvenes aut ad res militares aut ad rhetorem ibant.



cybernet

# Phynaert et Lyderic

Erant olim in Burgundia, circiter anno 620, iuvenis princeps et eius uxor qui inter se valde amabant et exspectabant infantem. Cum in eorum regione seditio- nes essent, ad parentem quemdam qui in Albione vivebat aufugerunt.

Eodem tempore, in Flandria regebat prin- cepts crudelis et giganteus qui Phynaert vocabatur. Cum in eius regnum princeps Salvaert et eius uxor Emergaert advenis- sent, Phynaert eos adortus est cum soda- lium grege suo. Praesertim enim eis pla- cebat venatio hominum. Per pugnam, Sal- vaert uxorem fortiter defendit sed tan- dem infeliciter periit. E tanta clade, Emergaert sola aufugere potuit incolum- fis.

\*

Post longum iter per silvam, equus prin- cipissam ad fontem duxit. Illuc cottidie senex quidem ad aquam hauriendam venie- bat. Ille, Lyderic vocatus, in silva vi- vebat sicut eremita. Qui, primo aspectu, terruit puellam, sed postea visus est a- micus. Ibi, principissa maesta et defa- tigata obdormivit. Postero die, sole o- riente, parvulum filium suum qui lacri- lacrimabat apud se vidit. Eum lavavit et foliis involvit. Timens ne puerulum ca- pteretur a crudeli tyranno, illum sub ar- bore relinquens per silvam aufugit sola. Paulo post, a gigantei principis sodali- bus capta est et ad eum ducta est. A quo in carcerem iacta est.

\*

Postero die, eremita, ut cottidie, ad fon- tem iit et infantem vidit. Cum cogitaret quomodo puerum aliturus esset, apparuit cerva quae sua sponte ubera lactis plena infanti praebuit. Statim senex illum in fonte baptizavit, qui appellaretur Lyde- ric, nomine senis ipsius. Sic parvulus Lyderic, per duos annos a cerva alitus, crevit. Postea eremita litteras et omnia quae iuvenis princeps scire debet puerum docuit.

\*



Eodem tempore fama tulit pulchram prin- cipissam in gigantei principis castelli carcere inclusam esse. Statim intellexit eremita illam esse pueri matrem quam ad fontem olim convenerat.

H esset  
Li  
ad

Cum puer duodecim annos natus erat, ab eremita senescente missus est in Angliam apud abbatem ex eius amicis. Per sex an- nos ibi vixit et crevit. Sic factus est iuvenis pulcher, amabilis et fortissimus. A rege ipso aestimabatur. Tunc redire vo- luit in Flandriam ad depugnandum cum ty- ranno et matrem suam liberandam. Ad Fran- cogalliae regem iit qui pugnam inter fi- lium et raptorem futuram esse prope In- sulam, se ipso praesente, iussit.

magni  
u

Pugna acerrima fuit et in initio, anceps. Lyderic tandem vicit. Statim ad castellum ubi mater includebatur cucurrit. Mater et filius inter se noverunt et diu amplex- unt. Rex ipse in castellum venit et iu- veni dedit omnia quae habebat crudelis Phynaert.

la  
H sunt

(L) u

Paulo post, Lyderic, cum ad fontem suum esset, repperit puellam dulcissimam et pulcherrimam quam uxeravit. In castello felices vixerunt et .... multos liberos habuerunt.

H uxorem  
daxit

\*

# Commercium Epistulare

Salvete Francisca Dianaque,


Habemus textum pro Melissa Iuniore. Complures discipuli Renildi praesentes erant Vestendae inter ferias :

A CAPPELLA, CUM LAETITIA...

Omne paratum erat : "a.d. XIII Kal. Sept. in "finem vespertinum" ibimus". Quo omnes Linguam Latinam exercentes congregabuntur : magister enim noster veniet. Die constituto, mane, birotis nostris, quibus schedulae pulcherrimae "LATINE LOQUI AMO" applicatae erant, carmina Latina cantantes, ad mare vecti sumus. Cum ad "finem vespertinum" pervenissemus, ad aedium aditum portarium rogavimus ubi esset Renildus : "Nondum apparuit, ait". Quid faciendum erat? Omnes esuriebamus sed audiendi videndique cupidi intravimus exedram ubi iam sedebant homines e tota Europa oriundi. Referatissima erat exedra ... Pater Eichenseer loquebatur de "coca cola", lingua Graeca nostrorum temporum et de multis aliis rebus. Attente auscultavimus, at quotienscumque ianua aperiebatur, adspiciebamus sperantes magistrum nostrum intraturum esse sed numquam apparuit. Postea nobis narravit arancium eius -i.e. autoraedam eius- defectum habuisse. Nulla feles erat quae ei credit. Unusquisque profectus est ex una parte maerens absentiam magistri nostri, ex altera parte stupefactus vigore linguae Latinae. Quod reliquum est diei magnopere sole marique fructi sumus!

Renildi "Infantes".

## VERBA INTEXENDA



## Responsa

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
1	M	E	.	A	M	.	D	A	S
2	A	M	A	.	N	U	P	E	R
3	T	E	.	I	N	.	B	O	S
4	R	.	S	.	M	.	I	L	E
5	E	X	C	L	A	M	A	T	I
6	M	.	U	L	L	U	S	.	T
7	U	T	.	S	C	I	A	M	.
8	U	S	U	S	.	I	T	.	M
9	T	A	M	.	I	N	V	I	T
10	I	S	.	O	.	D	.	S	U

### TRANSVERSE

- 1) Milia fecerunt Caesaris legiones./Ipsum.
- 2) Vinculi quibus amici ligantur.
- 3) Nihilominus./ Non gravi.
- 4) Ac./ Lumina .
- 5) Quem praebet aliquis laetus./ Neque iaces neque sedes.
- 6) Quaeso./ Vel.
- 7) Decrevi
- 8) Cui rei prodest nauta./ Si non est foris.
- 9) Sic est cornu.
- 10) Si ad tabernam eo./ Illa.

### PERPENDICULARITER

- 1) Me genuit./ Non duas habet.
- 2) Diligitis ./ Originem indicat.
- 3) Utinam... perspicax.
- 4) Facinus./ Non ex
- 5) Quod laetificat cor hominum./ Ad titulum incohandum.
- 6) Ad scopum exprimedum./ Et.
- 7) Evenit ut sit gloriosus./ Ex 365 diebus constat.
- 8) Floribus plus placent quam hiemes .
- 9) Vel./ Pater patris.
- 10) Jura legesque.